



Praxis Avrea Qvotidianarvm Rervm Ecclesiastici Fori

In qua Variæ Iuridicæ Resolutiones ex approbatis traditionibus Doctorum, atque diuersorum Tribunalium, præsertim Rotæ Romanæ, Decisionibus, excerptæ, continentur; Opvs Qvatvor Partibvs Distinctvm

Continens Tertiam, & Quartam Partem: Quibus, hac nostra editione ab innumeris mendis repurgata ...

Riccio, Giovanni Luigi

Venetiis, M.DC.LXXIV.

Praxis Electionis. Quia ex errore hæc materia non fuit adaptata suo loco in titulo de electione supra fol. 18. necessarium fuit hunc eundem titulum denuò hic reportare.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98599](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98599)

De tertia specie nullitatis, quæ est ex defectu iurisdictionis.

- 1** De nullitate autem ex defectu iurisdictionis; (quæ secundum Legistas incipit post litem contestatam, & secundum Canonistas perpetuatur Innoc. in c. ex relato n. 1. & in cap. super questionum n. 2. de offic. deleg.) seu incompetentiæ Iudicis titulum expressum habemus C. fin non comp. Iud. per totum, in l. 1. & in l. si de proprietate, & in l. fin. vbi Bart. Castr. & Salyc.
- 2** immò quod plus est, sententia dictam nullitatem, pariens, non potest conuallidari, neque de partium consensu Doct. in l. si extraneum, ff. de appell. & in l. priuatorum ff. de iurisd. omn. Iud. quia illa erit sententia lata per priuatam personam, de quo vide omnino Causal. dec. 25. n. 5. 17. 20. 21. 27. & seq. Quamuis Bart. & glos. in l. vnica, C. qui pro sua iurisd. contrarium asserant; & licet per Statutum tollatur, quòd de nullitate dici possit, tamen illa quæ ex defectu iurisdictionis prouenit, non tollitur, de quo latè Put. decis. 174. p. 2. Decius conf. 8. n. 7. glos. fin. in c. 1. de seq. poss. & fruct. vbi Doct. Bald. conf. 248. lib. 4. Alex. conf. 77. volum. 2. Imol. in coll. com. opin. lib. 4. conclus. 24. cum multis ampliacionibus, & limitationibus late allegans; Pariter si statutum, sicut Romæ est, prohibeat, quòd post annum agi de nullitate nequeat, non tollit, vt præmissum est, quin de proueniente ex defectu iurisdictionis non valeat excipi. Achil. dec. 51. eodem tit. Franc. in cap. significauerunt n. 12. de except. & in c. ex parte n. 7. de const. Castr. conf. 288. vol. 1. Calcan. còf. 16. quauis statutum prohibens directè de nullitate, dici prohibeat, pariter, ne de illa replicatio obici valeat, vt idem Achil. decis. 7. eod. tit. & quando principaliter super replicacione excipiendo, nullitas intenteretur, vide Put. dec. 301. lib. 2. neq; etiam principaliter, si adesset defectus iurisdictionis, vt ibid. decis. 8. quòd ampliatur procedere, tam in nullitate sententia interlocutoria, quàm diffinitiuæ, & in omni foro, vt ibi Achil. decis. 9. 10. & seq. de const. limita tamen dictu Statutum, ita de nullitate dici prohibens, eam non excludere, quæ spoliū admixtum habeat, de quo statuto Soc. conf. 121. n. 3. & conf. 150. n. 21. vol. 1. latè Casar de Grassis videndus decis. 1. de const. loquuntur: unde si Auditor Cameræ non extensa obligatione camerale, executiuè illius vigore procedat, omnia nullitatis vitio ex defectu iurisdictionis subiacebunt Gallef. ad oblig. in for. Cam. p. 3. q. 5. sub rubr. de process. & ita alias Rota censuit primò coram S. D. N. Clemente VIII. tunc Rotæ Auditore in illa Rom. Palatij Campi Flore: 8. Octob. 1588. ac in illa Rom. Palatij Campi Flore: & non solum per Statutum, verum neq; per quamuis aliam constitutionem de nullitate dici prohibentem præfens nullitas, vt dixi, tollitur Roman. conf. 115. n. 4. in fin. Sarn. in compendio vtriusq. signat. & super reg. Cancell. n. 24. tantumque hanc ex defectu iurisdictionis nullitatem ius abhorret, & priuilegiata inuenitur, quòd non obstante re iudicata, quæ liti finem imponit, de illa obici poterit decisio. 97. n. 3. p. 3. At si processus validus alias fuerit, licet sententia nulla ex eisdè actis, Iudex alterius instantia dummodò iurisdictione habeat, illam còfirmare valebit, Bart. in d. l. si expressum, n. 17. ff. de appell. Bellam. dec. 340. sed si Iudex ille, maxime si delegatus fuerit, laudandus erit, qui, ad hoc vt eius gesta teneant, suam vult iurisdictionem rimari, Innoc. in c. venerabilis n. 5. de censib. de nullitatibus, & expensis colligantes, ac eorum conscientia grauando inuoluant; Sed si contingat, quòd commissiōe porrecta pro sanatione præfate nullitatis ex defectu iurisdictionis prouenientis supplicetur, dummodò ante latam sententiam, poterit denuò rescribi, iurisdictionem Iudici tribuendo, vt per glos. in l. 1. in verbo si à iurisdictione, vbi Bart. n. 4. C. qui pro sua iurisd.

risd. Corset. in repert. ad lect. Abb. in verbo Index incompetens 9. limit. at quando præfata nullitas ex iurisdictionis defectu oriens, altiore requirit indaginem, non attenditur Verall. dec. 156. n. 3. p. 3. Card. in clement. vnica, §. fin. de seq. poss. & propr. secundum distinctionem, Bart. in l. 1. n. 4. C. vbi de cri. agi oportet. Si verò adierit defectus iurisdictionis Iudicis, & litē pendente iurisdicção superueniat ex causa de nouo emergente, nullo modo gesta confirmantur, quia non fuit legitimum initium iudicij, l. momentanea C. qui legit. person. stan. in iudic. sed superueniente iurisdictione ex causa de præterito ex nunc, non ex tunc; confirmatur iurisdicção, l. obseruare §. fin. ff. qui pro sua iurisd. Bart. in l. 1. n. 4. C. eod. tit.

PRAXIS ELECTIONIS.

Quia ex errore hæc materia non fuit adaptata suo loco in titulo de electione supra fol. 18. necessarium fuit hunc eundem titulum denuò hic reportare.

RESOLVT. XII.

- 1 Electio celebrata non seruata forma text. in cap. quia propter reiterari potest.
- 2 Ius propter sententiam priuationis, quæ posset subsequi, non debet amitti.
- 3 Eligentes absque forma cap. quia propter non sunt priuati ipso iure.

An electio celebrata contra formam cap. quia propter de elect. possit reiterari ab eisdem Electoribus.

- 1** Respondeo electionem celebratam non seruata forma cap. quia propter de elect. posse reiterari ab eisdem Electoribus ante latam Iudicis sententiā, & ratio videtur esse, quia ipsi non sunt ipso iure priuati, sed priuandis gl. in cap. 1. & ibi sequuntur omnes Anchar. consil. 145. numer. 3. Rot. decis. 8. numer. 2.
- 2** par. 1. in recent. non enim tenetur quis amittere Ius suum propter sententiam priuationis quæ possit fieri in futurum, nam Ius non absque causa prohibuit istos esse ipso iure priuatos, sed priuandos; Ergo autoritate Iuris possunt interim vti autoritate sua, ita tradunt post Innoc. Panorm. d. cap. quia propter §. nisi num. 4. Rom. conf. 483. num. 9. Castr. conf. 347. num. 1. Menoch. conf. 67. num. 30. Tiraqu. in l. si vniquam, verb. reuertantur C. de reuoc. donat. Card. Tulc. conclus. 76. num. 5. lit. E.
- 3** Quod autem Electores ob contrauentionem dicti cap. quia propter non sint ipso iure priuati, sed priuandi solummodò, tenent Innoc. & Panorm. in cap. 2. de postul. prælat. gl. in cap. Cumana de elect. quodque etiam patet ex verbis text. (ea vi eligendi potestate priuentur) quæ verba cum sint futuri temporis, sui natura non significant priuationem ipso iure, sed per sententiam glos. in cap. quicumque verb. innodentur de hæret. in 6. latè Tiraqu. d. l. si vniquam verb. reuertatur num. 39. C. de reuoc. donat. Menoch. conf. 67. num. 29. Suar. tom. 5. disp. 40. sect. 8. n. 2.

RESOLVT. XLII.

- 1 Votum est exprimendum in ipso scrutinio, non ante.
- 2 Dispositio text. in cap. quia propter §. illud de elect. explicatur.
- 3 Procurator quomodo potest institui, vt exprimat votum.
- 4 Procurator pro exprimendo voto, debet esse saltem constitutus in Ordine sacro Subdiaconatus.
- 5 Procurator constitutus ab absente, non potest duas personas eligere.

eligere, vnum nomine absentis, alterum vero nomine proprio.

6 Procurator quando sit reuocatus.

An absens habens vocem actiuam valeat exprimere suum votum per litteras, & procuratores instituere qui eius nomine votum in electione ferant.

Dva sunt partes difficultatis propositae. Prima resoluitur per text. expressum in cap. si quis iusto §. fin. de elect. in 6. & tenent communiter Doctores. & ratio expressè adducitur in eodem textu, quia scilicet votum non est exprimendum ante scrutinium, sed in ipso scrutinio, secretè & singillatim tantummodo; quare ratio cum fundetur in dispositione textus in cap. quia propter de elect. per consequens actus contrarius est ipso iure nullus, nec consuetudo contraria aliquid iuuat propter decretum irritas ibi appositum iuxta, tradita per nos sup. qu. præc.

2 Secunda tollitur per text. in c. quia propter §. illud de elect. vbi elector absens si velit potest committere vni de ipso collegio, vel pluribus in solidum dummodo tamen iusto sit detentus impedimento, super quo si opus fuerit fidem faciat proprio iuramento, (Dicitur de collegio) quia si de collegio nemo velit assumere vices eiusdem absentis, ipso nolente Capitulo, non licet extraneum deputare, cap. si quis iusto §. absens quoque, vbi Io. Andr. & Butr. n. 4. de elect. in 6. & hanc assertionem sic explanatam fulcunt gl. Innoc. Anchar. & Panorm. in c. quia propter de elect. Franc. in c. constitutus de appell. Ang. tit. de elect. n. 5. Lambert. de iur. patr. l. 2. p. 3. q. 2. Azor. p. 2. lib. 6. c. 14. q. 7.

Ex quauis posset argui absentem non valere exprimere votum suum per litteras, per rationem adductam in text. in d. §. absens quoque; quia votum non est exprimendum ante scrutinium, sed in ipso scrutinio; Tamen responderi potest iuxta glossam in d. c. si quis iusto verb. exprimendum, quam post Anchar. conf. 78. sub n. 2. vers. sed his non obstat, approbat Rota in vna Vallefoletana præheminentiarum 23. Ianuar. 1604. coram Pamphilio, quod Elector absens instituendo procuratorem, non exprimit votum suum, sed mandatum dat de voto exprimendo. Vnde illud mandatum certè non augebit numerum suffragiorum, si illud idem non fuerit expressum a procuratore in actu scrutinij. Aliud enim est dicere Eligo talem, & aliud est dicere Do mandatum Titio de tali eligendo, nam illud primum fieri debet in scrutinio secretò, & singillatim, sed hoc secundum potest fieri ante scrutinium.

4 Huiusmodi tamen conclusio nonnullis modis venit declaranda, & primo, vt procurator sit constitutus saltem in ordine subdiaconatus, vt colligitur ex cap. cum ex eo §. in Ecclesijs, de elect. in 6. & clement. vt ij de ætat. & qual. & Conc. Trid. sess. 22. c. 4. de reform. iuxta tradita per Azor. p. 2. lib. 6. cap. 14. q. 7. licet ab hac declaratione, nonnullæ excipiantur religiones, apud quas sicut Clerici nondum sacris initiati, & laici ex consuetudine, Statuto, seu privilegio valent interesse electionibus, vt bene aduertunt Doctores, ita à maiori possunt procuratores instituere.

5 Declaratur secundo, vt non possit prædictus procurator de collegio constitutus ab absente simpliciter, vnum eligere suo nomine, & alium procuratorio, sed tenetur ad eum accedere nomine illius, ad quem adstringitur nomine proprio d. c. si quis iusto §. porro.

6 Tandem intelligas præfatam conclusionem, vt si prius moriatur Dominus quam electio perfecta sit, procurator sit reuocatus ob mortem constituentis, quamuis si Capitulum ipsius Domini mortem ignoret, & eius procurator eligat, teneat electio Innoc. in dicto cap. quapropter, & Franc. dicto c. si quis iusto.

Aloys. Ricc. Prax. Pars IV.

RESOLVT. XLIII.

- 1 Excommunicatio minor priuat electione passiva, non autem actiua.
- 2 Excommunicati tolerati, & non tolerati ab Ecclesia, qui dicantur.
- 3 Electio facta de excommunicatis, siue toleratis, siue non, est ipso iure nulla, etiam ignoranter n. 4.
- 5 Eligentes scienter excommunicatum quam penam incurrant.
- 6 Excommunicati non tolerati eligere nequeunt.
- 7 Excommunicati tolerati admittuntur etiam scienter ad eligendum.
- 8 Suspendus ab officio, caret vtraque voce, limit. n. 9.
- 9 Suspendus simpliciter priuatur voce actiua, & passiva.
- 10 Suspendus à beneficio, quando possit eligi ad nouum beneficium, & quando possit eugere.
- 11 Suspendus ab ordine caret voce passiva, & non actiua.
- 12 Suspendus suspensione minori caret solim voce actiua non autem passiva.
- 13 Interdicti an gaudeant voce actiua, & passiva.

Qui priuentur voce actiua tantum, & non passiva, & qui vtraque.

Constitutio nonnulla capita pro explicatione prædicti quaesiti, quorum primum est, excommunicatum excommunicatione minori priuari electione passiva non autem actiua, ita expressè habetur in cap. si celebrat de cleric. excommunic. ministr. ratio est prout ibidem innuitur, quia cum huiusmodi excommunicatus omnium sacramentorum perceptione priuatus existat, per consequens etiam prohibetur exercitium, & occluditur aditus ei ad ordines Ecclesiasticos, quos postulat dignitas, ad quam eligitur, & ad corroborationem adducitur text. in cap. illa quotidiana de election. vbi electio alias canonica confirmatur, licet quidam eligentium essent minori excommunicatione ligati.

Secundum caput est, an maiori excommunicatione excommunicatus priuetur voce actiua, & passiva, & pro faciliore huius dubij resolutione respondeo excommunicatos esse in duplici differentia; nam aliqui dicuntur tolerati ab Ecclesia, alij vero non tolerati, vt notant communiter Doctores, & nouiter Alter. de censur. tomo 1. lib. 2. disp. 5. cap. 2. col. 5. Bonac. de censur. disput. 2. qu. 2. punct. 1. §. 1. n. 2.

Non tolerati primò censentur illi, qui sunt publicè, & nominatim excommunicati, ac denunciati. Non tolerati existimantur illi, quos adeò notoriè constituit incurrisse sententiam laram à canone pro sacrilega manuum iniectione in Clericum, vt nulla tergiversatione possit celari. In alijs vero casibus extra hos duos, excommunicati dicuntur tolerati ab Ecclesia, ita vt non teneamur à communione illorum, abstinere nos, vel eos euitare in Sacramentorum receptione, vel administratione, vel in alijs rebus externis, & hoc possumus fauore extraneag. ad euitanda scandala, Nauarr. cap. 27. num. 35. Gutierrez qq. can. cap. 1. num. 1. & Auil. de censur. part. 2. cap. 6. disput. 2. dub. 1.

Præmissa hac distinctione, dico primò electionem factam de excommunicatis, siue toleratis, siue non, esse ipso iure nullam, cap. constitutus, vbi Panorm. de appellat. cap. postulasti de cleric. excommun. ministr. qui licet loquatur de collatione, tamen extenditur ad electionem, vt ibi Rebuff. num. 85. docens Iura loquentia de collatione, habere locum etiam in electione, Lambert. de iure patron. lib. 2. part. 1. quest. 9. art. 10. num. 1. Couarr. in cap. Alma mater, par. 1. §. 7. num. 1. Nauarr. cap. 27. num. 21. Sayr. de cens. lib. 2. cap. 15. num. 8. §. 2. Valsq. de excom. dub. 6.

D d 2 vbi

- vbi plures cumulat, & refert decif. Rot. 363. in qua declaratum fuit, hoc procedere tam de excommunicato a iure, quam ab homine, quod etiam procedit quauis excommunicatio inuincibiliter ignoretur ab ipso excommunicato, & ab electoribus, Auil. de censur. p. 2. c. 6. disp. 5. dub. 2. concl. 1. nam licet ignorantia inuincibilis excuset a culpa, & aliquando etiam a pena, non tamen facit actum validum, quem irritauit Ecclesia, nec reddit capacem, quem Ecclesia reddit incapacem. Si vero non ignoretur ab Electoribus excommunicatus non toleratus, & tamen ab eis scienter eligatur, tunc ipsi elector. primo a peccato non excusantur. Secundo incurrunt penam irrogatam eligentibus indignum, iuxta Panorm. in d. cap. postulasti de cler. excom. ministr. Tercio tandem ab electione actiua sunt repellendi, donec super hoc veniam consequi mereantur in hoc in quo praesumpserint delinquere.
- 6 Dico secundo excommunicatos non toleratos, nec solos, nec cum alijs eligere posse, quod si secus attentatum fuerit, ipsa electio est inanis, & nulla si scienter admittantur ad eligendum d. c. constitutus, vbi Franc. tradunt Innoc. & Panorm. in cap. 2. de postul. praelat. Guttier. can. qq. lib. 1. cap. 28. n. 3. Suar. tom. 5. disp. 14. sect. 2. n. 17. & 18. qui licet videatur firmare n. 16. talem electionem non esse dicendam nullam; attamen dicit in praxi esse seruandum contrarium propter c. fin. & propter communem Canonistarum Sayr. vbi supra c. 6. n. 4. & 5. Auil. vbi supra conclus. 3. dub. 1. Alter. de censur. tom. 1. lib. 2. disp. 5. c. 2. §. tertio dicunt.
- 7 Si vero excommunicati fuerint tolerati, tunc possunt eligere siue solum, siue cum alijs, qui etiam si scienter eum admittant, non solum valida erit electio; sed etiam nihil in eo peccabunt, quidquid contrarium senserit Mil. in eius repertor. verb. excommunicatus potest aliquid agere, & in hoc conueniunt omnes. Tertium affertur caput suspensos quo casu priuari voce actiua, & passiva in Capitulo, & in hoc animaduertas benigne Lector supradictum caput plures in se continere diuisiones; nam suspensus ab officio absolute siue a Canone, siue ab homine, nec eligi, nec eligere potest, Sayr. de censur. lib. 1. c. 5. n. 6. Azor. p. 2. lib. 6. cap. 14. qu. 8. Alter. de censur. tom. 2. disp. 4. cap. 4. ratio autem est, quia sub nomine officij comprehenditur omne exercitium clericale, seu Ecclesiasticum, sed vox est vnum ex Ecclesiasticis exercitijs secundum Panorm. in cap. cum super num. 4. de confess. Ergo suspensus ab officio per consequens etiam a voce suspensus est, ita Sayr. vbi supra num. 12. Nisi vox competere ratione beneficii cum enim suspensio ab officio nullo modo suspendat a beneficio, ut late per Sanch. de matrimon. lib. 3. disput. 51. num. 12. Garz. vbi supra num. 58. Alter. tom. 2. disp. 4. cap. 3. vers. secunda conclusio, & disp. 17. cap. 1. §. quareit secundum, & tandem tenet communior opinio: consequenter euenit si vox alicui competere ratione beneficii, vocem habere in electionibus quamuis ab officio sit suspensus.
- 9 Altera diuisio erit suspensum simpliciter, siue a Iure, siue ab homine priuari vtraque voce cap. cum inter R. §. fin. de electione. Innoc. in cap. cum dilectus num. 4. Panorm. num. 18. & Bald. num. 13. quos sequitur Rota decif. 860. num. 6. coram Seraphino; ratioque est, quia sic suspensus intelligitur, & ab officio, & a beneficio suspensus, si nec ex verbis, nec ex intentione Iudicis colligatur limitatio Sayr. de censur. lib. 4. cap. 4. n. 2. Rot. decif. 870. coram Seraphino.
- 10 Tertia affertur diuisio suspensum a beneficio non posse eligi ad nouum beneficium quando suspensio fertur a Iure pro crimine, vel offensa non concernente certum beneficium, vel particularem Ecclesiam, quia talis suspensio est vniuersalis, & indistincte respicit omnem locum; secus vero si crimen est specia-

le respectu particularis Ecclesiae, vel beneficii; nam tunc in illa Ecclesia non potest obtinere aliud beneficium. In alijs vero Ecclesijs non prohibetur. Alter. tom. 2. disp. 5. cap. 5. §. quantum spectat, exemplum ponit Panorm. in cap. cum in cunctis §. clerici sane num. 1. de elect. At vero suspensus a beneficio non impeditur quo minus eligere possit, ut expresse docent gloss. in cap. cum Vintonien. verb. admirat de elect. vbi etiam Panorm. num. 10. Alter. tom. 2. disp. 5. cap. 2. col. pen. §. respondeo suspensum Suar. tom. 5. disput. 25. num. 34. quod procedit respectu vocis, seu electionis quae aliunde competit, secus autem si competere ei ratione illius beneficii a quo est suspensus Nauarr. cap. 27. n. 163. vers. 6.

- 11 Apponitur in medio alia diuisio suspensum ab ordine non posse eligi, non tamen suspensum a Iure eligendi, quia eligere ad Iurisdictionem spectat, licet enim non sit propria Iurisdicatio, est tamen administratio quaedam, quae non competit ratione ordinis, sed beneficii vel dignitatis, seu ex alia simili causa, ita Suar. tom. 5. disp. 26. num. 5. & Alter. loc. cit.
- 12 Adducitur etiam diuisio, suspensum minori suspensione gaudere voce actiua, non autem passiva Panorm. in cap. Apostolica num. 2. cap. cum dilectus num. 2. vbi supra, & Azor. vbi supra, & facit a simili quod diximus de excommunicatione minori excommunicato, teste Lambert. de Iur. patr. lib. 2. par. 1. q. 9. art. 2.
- 13 Quartum, & vltimum caput est interdictos non solum excludi a voce actiua, Hostiens. in summ. tit. de elect. §. quis potest eligere vers. sed breuiter dico Manual. praelat. tom. 2. q. 23. artic. 8. sed etiam a passiva iuxta Ang. tit. de elect. n. 23. Azor. q. 9.

RESOLVT. XLIV.

- 1 Electio cassatur propter duplicem defectum.
- 2 Reiectus ab electione vitio persona est ineligibilis vbi que, secus si vitio forma.

An semel reiectus ab electione sit ineligibilis.

- 1 Regula statuitur pro fundamento articuli electionem irritari duplici, ex causa, vel defectu, videlicet, quando in electione non fuit seruata forma canonica Capituli, quia propter de elect. de qua supra diximus, vel defectus personae, ut puta si opponatur contra electum crimen, vel aliquis defectus natalium, vel quod est corpore vitiatum, debilitatus, excommunicatus, & similia pariter supradicta.
- 2 Reiectus ergo ab electione vitio personae ita non potest eligi, ut ineligibilis sit non solum in eadem, sed in alia qualibet Ecclesia. Si vero non vitio personae, est secus dicendum, talis enim irritatio non poterit impedire eius promotionem, etiam in eadem, nedum in alia Ecclesia, cap. super eo, vbi Io. Andr. Innoc. & Panorm. de elect. Felyn. in cap. super his col. 4. de accusat. Cuch. in sit. maior. lib. 4. tit. de elect. n. 149. & Manual. praelat. tom. 2. q. 23. art. 11. conclus. 5. ratioque diuersitatis est, quia vitium concernens personam, si gillat, & notat eam, ac sequitur sicut lepra leprosum, cap. cito turpem 1. 9. 1. vbi vero electio vitatur ex defectu non respiciente personam electi, tunc ex eo non laeditur fama, & opinio, cap. considerauimus cum ibi notatis per Panorm. n. 5.

RESOLVT. XLV.

- 1 Electio non vocatis absentibus, ad eorum petitionem potest annullari.
- 2 Absentium vocatio est de iustitia non autem de substantia electionis.

3 Absens

- 3 Absens contemptus contradicere potest infra tempus quod antecedit confirmationem limita num. 4. & 5.
6 Contemptus allegat contemptum.

An in electione sint vocandi absentes, ita ut ipsi non vocatis electio sit nulla.

- 1 R Espondeo electionem factam modo supradicto non esse ipso iure nullam, sed si non vocati ipsorum contemptum prosequantur, possunt electionem irritare, secus autem si illam bene habeant, & non in contemptum, vel electionem faciant ratam, quod sicut vbi Imol. n. 5. de elect. Archid. & Anchar. in c. cum Ecclesijs de preben. in 6. Lambert. de Iurepat. par. 2. q. 2. art. 8. n. 15. Tusch. lit. C. conclus. 967. & conclus. 36. lit. A. Vocatio enim absentium est de iustitia electionis non autem de substantia Panorm. in c. quia propter de elect. quem refert Marta. in suis ff. nouissimis tit. de elect. c. 29. & c. 45. post Menoch. conf. 67. n. 31. & ratio est, quia si ellet de substantia, non posset ratificare electionem ipse elector absens contemptus, cum non posset quis renunciare favori publico, cap. si diligenti de foro compet. Farin. qui plures cumulat. de carcer. & carcerat. qu. 27. n. 84.
- 3 Hoc autem intelligendum esse puto duobus modis. Primo si absens contemptus contradicat electioni facta infra tempus antecedens confirmationem, iuxta cap. fin. de elect. in 6. Cuch. in lit. maior. lib. 4. tit. de elect. n. 51. addit. ad Panorm. in cap. in Genesi n. 10. secus vero si post dictum tempus contradiceret, nisi constaret contemptum ignorasse celebrationem electionis, & confirmationis, iuxta cap. fin. qui matrim. accus. poss. & per Doctores loc. prox. citat. vel si celebratio actus de quo agitur re vera non sit electio, sed prouisio, tunc enim etiam post confirmationem auditur, quia qui prouident, eligunt, & confirmant vnico actus, gloss. in c. 1. verb. prouisionem de elect. in 6.
- 6 Secundo modo intelligitur, ut solum contemptus possit allegare contemptum ad effectum, de quo supra: Vnde nec Iudex, nec alij de capitulo ipso contempto tacente poterunt contemptum allegare, ut electio retractetur Panorm. d. cap. in Genesi n. 10. de elect. & ratio est, quia cum hoc casu agatur de favore priuato non autem publico, non potest Iudex supplere ex officio suo, ut probatur in l. 4. §. hoc autem iudicium, ff. de damno infecto.
- Imò non potest Capitulum condere Statutum inducens nullitatem electionis propter defectum aliquorum non vocatorum, qui erant vocandi, & ita decidit Rot. in vna Tolertana Canonica. 18. Maij 1584. coram Clemente VIII. olim sanctissimo.

RESOLVT. XLVI.

- 1 Electio facta inhabilibus non vocatis, tenet.
2 Electio facta inhabilibus non vocatis, an teneat si non constet notoriè de inhabilitate, & quid si dubie n. 3.

An electio, & alia gesta in Capitulo teneant si inhabiles non vocentur.

- 1 Innoc. Anchar. & Panorm. in cap. 2. de postul. Prælat. affirmant electionem, ac alia facta in Capitulo valida censi si inhabiles non vocentur, & hanc esse communem opinionem Summistarum testantur Tabien. tit. de elect. n. 5. & Siluest. cod. tit. qu. 5. n. 6. qui subdunt procedere; licet non sit discussum an priuati existant, sed sufficere posse conuinci; Tamen Rodriq. tom. 1. qu. 51. art. 12. inquit totum contrarium, non posse à Iudice priuari dictos Religiosos, abique eo quod prius citentur, & ipsis detur copia eorum, quæ contra ipsos sunt obiecta per text. in cap. Deus omnium Aloys. Rice. Praxis Pars IV.

nipotens 2. qu. 1. vbi delicta sunt prius cognoscenda ne forte falsis tumoribus, aut declarationibus innocens condemnatur, ac etiam per text. in cap. porro de diuort. & cap. 1. de caus. poss. & propriet. vbi Summus Pontifex non permittit aliquem condemnari sine eo, quod prius audiat.

Tu autem concordando supradictas opiniones resolues priorem procedere quoties delictum est manifestum, ut nulla tergiversatione possit celari, quia tunc Iudex nullum ordinem iudicarium tenetur seruare, in condemnando reo, exemplo D. Pauli ad Corinthios, qui non seruato ordine iudicario absentem illum notorium incestuosum Satanæ tradidit per excommunicationis sententiam cap. de manifesta, & c. ad nostram de iure iur. Spec. in tit. de accus. §. 1. n. 17. Clar. lib. 5. §. fin. q. 8. in princip. Nauar. de restit. lib. 3. n. 192. Less. de iustit. lib. 2. c. 29. n. 100. Vnde non solum electio tenet si tales non vocentur, sed etiam si vocentur, & postea non expectentur, cum inter vbi Panorm. n. 11. de elect. Verum si delicti notorietas non est talis, ut sit inexcusabilis, sed saltem est dubium, an aliqua defensio competat reo; hoc notorium non est sufficiens, ut absque citatione possit procedi ad condemnationem, ita voluit Rota decis. 393. n. 10. & 11. coram Seraphino, quia re vera est citandus, & audiendus. Si vero adhuc res dubia pendeat, tunc posset admitti cum protestatione se non intelligere communicare ei ius eligendi, & velle eiusdem vocem nemini dare suffragium, vel afferre nocumentum. Panorm. & But. in c. Cumana de elect. Biaz. de elect. p. 1. c. 9. n. 5.

RESOLVT. XLVII.

- 1 Prouinciales, & custodes renunciando voci actiue ex officio eis competenti peccant.
2 Prelati conuentuales, & discreti non possunt renunciare voci actiue absque labe peccati.
3 Priuatus renunciare potest voci suæ, limita num. 4. 5.
6 Renunciatio qualiter fieri debet.

An renuncians voci actiue peccet mortaliter.

- Non est respondendum generaliter argumento præposito, nam nonnulli electionibus actiue interfunt iure regulari, ut sunt apud Minores S. Francisci Prouinciales, & Custodes in elect. Generalis, qui ex vi regulæ eundem Generalem tenentur eligere, & supradicti nullatenus possunt renunciare voci actiue, & renunciando lethaliter peccant; ratioque videtur esse, quia statutis pro bono publico principaliter factis renunciari non potest Panorm. in cap. in Genesi n. 10. de elect. latè Farin. de carcer. & carcer. q. 27. n. 84. Aliqui etiam conueniunt actiue ad electionem ex officio publico, ut sunt Guardiani, Priores, Abbates, & discreti in electionibus Capituli Prouincialis, & hi nequeunt renunciare cum tale ius ei suffragetur non in fauorem proprium, sed in fauorem officij, sicuti non potest Clericus renunciare ijs que concernunt priuilegium clericale, iuxta not. in c. si diligenti, cap. significasti de foro compet. c. si contingit de sent. excomm. Rot. dec. 269. in fin. p. 2. in recent. & dec. 441. n. 8. coram Gregorio XV. olim Sanctiss. Alij vltimò interfunt ratione Iuris priuati, id est specialis fraternitatis, ut sunt fratres in electione discreti localis, & hoc casu possunt huiusmodi Iuri renunciare, quia quilibet potest renunciare proprio favori, l. si quis in conscribendo C. de pact. cap. cum accessisset de constit. cap. ad Apostolicam de reg. Card. Tusch. conclus. 170. per totam lit. R. & Rot. decis. 265. n. 3. par. 1. in recent. nisi ex tali renunciatione vltimo loco narrata fama renunciantis non leue detrimentum pateretur, & hoc est certum apud omnes; Vel illa renunciatio cederet in

Dd 3 5 damnum

- 5 damnum religionis, provinciar, aut Monasterij de cuius electione ageretur, ita Panorm. dicto cap. quia, propter num. quarto de elect. nam dicta renuntiatio cederet in detrimentum religionis firmiter etiam Tabien. tit. de elect. n. 12. Manual. prelat. tom. 2. q. 23. art. 6. conclus. 5. & Rodriq. tom. 2. q. 53. art. 10.
- 6 Pro Coronide verò non desinas animaduertere in casu occurrenti curare, vt huiusmodi renunciatio fiat expresse, & in loco patenti, vel in scriptis per litetas, ad præcidendam viam innumerabilibus controuersis, & litibus, quæ ex natura renunciantis possent oriri: ipsa enim est stricti Iuris, & debet intelligi vt quæto minus dicatur renunciatum, quatenus tamen verba patiuntur, ita vt minus renuncianti noceat quàm sit possibile, Dec. conf. 379. n. 4. Soccin. sen. conf. 33. n. 10. lib. 3. Burlat. conf. 397. n. 44. Rot. decif. 669. in fin. & decif. 782. n. 4. & 5. par. 2. in recent. multos Doctores cumulans, & sic etiam fuit decifum in vna Bon. hered. de armis lunæ 12. Decembris 1622. coram Merlino. Nec renunciatio trahitur ad ea, quæ expressa, & significata non sunt, nisi adfint coniectura admodum vrgentes, Rot. dec. 471. num. 5. par. 1. iunct. decif. 383. num. 3. par. 2. in recent. & decif. 43. num. 5. coram Domino meo Coccino. Vnde in dubio non præsumitur quis renunciare Iuri suo, & omnis interpretatio admittenda est, vt talis præsumptio excludatur, Dec. conf. 308. num. 8. Tiraquell. de retract. lignag. §. 36. glof. 2. n. 59. Rot. decif. 636. nu. 6. par. 1. in recent. nec renunciatio inducitur per verba vrbauitatis, vt dictum fuit in Rota dicta decif. 636.

RESOLVT. XLVIII.

- 1 Dispositio text. in cap. publicato de elect.
- 2 Compromissarij, seu scrutatores reuelantes suffragium peccant, & electio est nulla.
- 3 Electio non tenet si vota publicantur ante, vel post scrutinium, vt num. 4. & 5.
- 6 Suffragia publicata in actu scrutinij annullant electionem.

An votum in electione datum reuocari possit per eundem votantem, & an possit vnquam manifestari.

- 1 **R**esolutio primæ difficultatis pendet à dispositione text. in cap. publicato de elect. vbi publicato scrutinio electores nequeunt variare, & per consequens à contrario sensu recedere possunt à prima nominatione ante publicationem scrutinij, & in alium consentire, Anchar. in cap. perpetuò de elect. in 6. Syluest. tit. de elect. q. 7. & communiter omnes Doctores; ratioque videtur esse, quia statim quòd scrutinium est publicatum, Electores sunt functi officio eorum.
- 2 Quòd ad alterius difficultatis resolutionem distinguo, quòd si agitur de compromissarijs, seu scrutatoribus, nullatenus possit suffragium manifestari, tùm quia adest secretum de re graui cuius proditor mortalis culpæ labe innodatur, vt esse communem opinionem testatur, Bonac. de contract. qu. 2. punct. vnic. num. 3. tum etiam, quia compromissarii, seu scrutatores conuincuntur violare præceptum, Conc. Trid. sess. 25. cap. 6. de regul. vbi inuolabiliter mandat nomina singulorum eligentium numquam publicari, quare non solum peccant mortaliter, sed electio est nulla, vt in terminis sentit Nauarr. consil. 2. n. 4. de elect.
- 3 Aut verò quæritur quid dicendum, si elector votum suum electoribus aperiret ante vel post scrutinium, vel in ipso actu scrutinij, & firmandum est, quòd ante vel post scrutinium nullo modo licet publicare cui suum votum dederint, & sic respondisse Sac. Congreg. testatur Garz. de benefic. p. 5. c. 4. n. 197. quod procedit nõ

4 solum si omnes palam suffragia præstent, sed etiam si vnus tantum, vbi supra numer. 184. quem sequutus fuit Rota in vna Trineten. Abbatie 20. Nouembr. coram Domino meo Coccino Decano; ratioque esse videtur, quia cum decretum irritans appositum in cap. quia propter de elect. inducat formam, & forma sit indiuidua; sequitur electionem esse nullam, etiam si vnus solummodò palam suffragetur.

5 Imò, quòd plus est, ad effectum irritandi electionem in casu, de quo agimus non esse necesse, vt præfatus elector suffragetur palam cunctis audientibus, sed sufficere si vnus solummodò, vel aliqui quod non sint scrutatores audiant, si viua voce dantur suffragia, & sic in terminis procedere. decif. Rotæ loci cit. firmat Garz. vbi supra num. 191.

6 Si autem in ipso actu scrutinij manifestatio suffragij sit ab electore publicè, ita vt ab alijs vltra scrutatores audiatur, tunc electio sic celebrata non tenet secundum Nauarr. lib. 1. conf. 9. n. 3. de elect. Rodriq. tom. 2. qu. 51. art. 9. Manual. prelat. tom. 2. q. 23. artic. 19. & Elector sic publicans priuandus est eligendi potestate pro illa vice: de benefic. p. 5. cap. 4. num. 195. nisi ignorantia probabili excusaretur.

RESOLVT. XLIX.

- 1 Libertas requiritur in electione.
- 2 Electio actiua an possit restringi ad certum numerum personarum.
- 3 Electio passiva an possit restringi ad certum numerum.
- 4 Consuetudo vel statutum an operetur, vt Electores compellantur ad eligendum certum numerum.

Qualis coactio, seu restrictio libertatis vitiet electionem ad intellectum text. in cap. cum terra de elect.

1 **E**x text. in cap. cum terra de elect. sumitur regula electionem esse in libertate eligentium, cap. cum dilectus de consuet. in fin. ibi liberam habent; etiam si esset consuetudo in contrarium d. cap. cum terra. Vnde si facultas eligendi, ita restringatur, vt certum genus personarum, imò vna persona eligi non possit, non dicitur libera electio, nec solum, imò ff. de opr. leg. Gonzal. super reg. 8. Cancell. glof. 53. num. 25. & Rot. decif. 6. par. 1. in recent. quod præcipue habebit locum in electione actiua pertinente ad totam Congregationem, vel Capitulum, quia non potest restringi talis electio ad certum genus personarum illius Congregationis, alias electio est nulla; cum enim Capitulum, seu Congregatio habeatur pro vniua personarum, l. mortuo ff. de fideiuss. hoc esset scindere in partes vnā eandemque personam, vt post Lap. Clem. plures num. 4. in fin. Card. in §. quibus num. 3. qu. 3. de iure patr. Lambert. de iure patr. lib. 2. par. 2. qu. 3. art. 6. in fine, declarauit Rota in vna Vallesoletana, præhennentiarum 29. Martij 1604. coram Pamphilio.

3 Quòd verò ad electionem passiuam: Si electores metu cadente in virum constantem Statuto, vel approbata consuetudine compellantur ad eligendū ex certo genere personarum, valet electio; & ratio est, quia non admittit omnino libertas eligendi Panorm. cap. licet n. 12. de elect. Calder. c. cum in iure n. 9. de elect. Anchar. d. c. cum terra n. 2. Biar. in direct. elect. par. 1. cap. 6. Cuch. in lit. matrim. lib. 4. tit. de elect. n. 106. Alter. de censur. tom. 2. de susp. disput. 13. c. 5. §. post penam impositam Tusc. conclus. 61. lit. E. & Nauarr. lib. 1. conf. 7. de constit. qui n. 2. bene subiungit posse, profecto eligi alium extra dictū genus personarum, vbi intra illud non reperiretur dignus, quia nunquam eligendus est indignus D. Thom. 2. 2. q. 63. art. 2. per text. in l. honor §. gerenderis ff. de mun. & honor. Bal. consil. 318.

318. lib. 3. Tusc. conclus. 73. num. 4. litt. E. & eligere indignum est contra Ius diuinum naturale, & Pontificum teste Salon. 2. q. 63. art. 2. controu. 3.

- 4 Si autem electores compellerentur statuto, vel consuetudine eligere aliquem certum numerum, ita ut penes Capitulum non resideret potestas eligendi, sed penderet ex voluntate tertij, talis electio, utique erit ipso Iure nulla, illudque statutum, & consuetudo sunt nulla d. cap. cum terra latè Paris. de resignat. benefic. lib. 13. q. 2. num. 15. Idemque esset, si metu cadente in constantem virum Electores compellerentur c. vbi periculum §. ceterum de elect. in 6. glos. 4. in capit. bonæ verbo metuebant de elect. Alex. conf. 98. num. 5. Rebuff. constit. Gallia tom. 2. tit. de resciss. contract. art. vnico. gl. 22. num. 6. Gurtier. conf. 16. nu. 11. vt refert Bertacch. in suo repertorio verb. electio qualiter vers. 35. Nau. conf. 5. num. 1. de elect. Sanch. de matrimon. lib. 4. disp. 1. num. 18. Suar. tom. 5. disp. 3. sect. 3. nu. 14. Alter. de censur. vbi supra, & tenuit Rota loc. cit. coram Pamphilio de anno 1604. Et non solum habet si bi locum si coactio fiat ad vnum determinatum, vel ad duos ob verba text. d. cap. cum terra ibi (duas personas) sed etiam si coactio fiat ad tres vel quatuor certas, & determinatas Roderic. tom. 2. q. 52. art. 11. Manual. prelat. tom. 2. q. 23. conclus. 3.

RESOLVT. L.

- 1 Subornationis genus quod duplex.
- 2 Subornatio vel bona, vel mala.
- 3 Subornatores quando peccant, vel non.
- 4 Subornantium poena quoniam sit.

Ex qua subornatione vitietur electio, & de poena subornantium.

- 1 Subornationis genus duplex in Iure reperitur, nempe bona, & mala, vt inquit Nauar. conf. 20. n. 8. de sent. excom. quem sequitur Rodriq. to. 2. qu. 56. art. 1. nam illa, quæ in aliquis animus inducitur verum in bonum finem, est bona illa verò qua consilium fallum in malum finem, utique est mala, atque adeo diabolica, & ex qua multa sequuntur inconuenientia, quæ recenset idem Nauar. coment. 3. de regul.
- 2 Malum autem genus subornationis, aliquando fit verbis, aliquando verò muneribus id est quando dantur munera electoribus, vt eorum beneuolentia, & gratia aucupetur ad effectum consequendi ipsorum suffragia; & de hoc genere subornationis potest intelligi illud Exodi 23. (nec accipies munera, quæ etiā excæcant prudentes, & subuertunt verba iustorum) dictumque genus dicitur minus propriè simonia, vt patet ex Rodriq. tom. 3. q. 63. art. 4. & apparet ex Bulla Clem. VIII. de largit. mun. Suadere igitur electoribus virtutes veras quibus eligendi ornantur, & vitia, nota quibus notantur, vt dignus digno, & indignus indigno, & dignior minus digno præferatur, est sanctū Nau. d. conf. 20. & e contra suadere virtutes falsas, & dissuadere vitia nota, vel donis subuere mentes electorum, quo indignus digno, minus dignus digniori antepositur est impium, & inde vitiat electio.
- 4 Ex præmentionata etiam Bulla colligitur poena subornantium, vt in §. 22. cuius tenorem placuit nobis hic inferere (vt omnis officiorum ambitus occasio præcludatur, caueant omnes a directa, vel indirecta, vocum, seu suffragiorum procuratione, tam pro ipsis, quam pro alijs, tum in capitulis locorum, tum in cæteris, præsertim generalibus Capitulis, aut Congregationibus, seu alibi: Quicumque secus fecerint, præter alias poenas, & censuras hæcenus contra huiusmodi ambientes inflictas, quas in suo robore permanere volumus; in poenas priuationis officiorum, quæ obti-

Aloys. Ricc. Prax. Pars IV.

nent eò ipso incidant, & ad futurā quæcumque pariter inhabiles habeantur super quo cum eis dispensari a nemine possit, nisi a nobis, vel a successoribus nostris, & pro qualitate culparum grauius etiam plebiantur. Porro supradictas omnes poenas ad complices, & simpliciter scientes, & non reuelantes extendimus.

Cum autem dicta constitutionis decretum fuerit confirmatum a sacra Congregatione die 21. Septembris anno 1624. ex motu Sanctissimi Domini Nostri Urbani VIII. non restat aliquid dubitandum.

RESOLVT. LI.

- 1 Confirmatio electionis est de substantia.
- 2 Electio confirmanda est a Superiore, eoque recusante cogi potest.
- 3 Confirmatio immediatè spectat ad Superiorem.
- 4 Forma confirmationis, quæ sit.
- 5 Electus est examinandus a confirmatore.
- 6 Electio non est nulla, cassata confirmatione.

Confirmatio electionis an sit necessaria: & ad quem pertineat confirmatio electionis, & an annullata confirmatione efficiatur nulla electio canonice facta?

- 1 De tribus hic quæro; quo ad primum respondeo confirmationem electionis esse necessariam non solum ex parte electi, sed etiam ex parte confirmatoris c. fin. de elect. in 6. c. postquā eod. tit. Rot. dec. 240. n. 12. coram Sanctiss. Gregor. XV. & allegans aduersus hoc contrarium, non esse audiendum tenet glos. in c. vnico vers. nam confirmatio de postul. prelat. in 6. imò
- 2 si ipse Superior, ad quem spectat (vt infra dicemus) nollet confirmare, potest compelli per eius superiorem, vel ei præfigi terminus cum comminatione, seu intimatione, quod nisi infra talem terminum confirmet, superior Iure deuoluto hoc faciet glos. in rubr. de postul. prelat. Panorm. in c. cum nullus c. pastoralis de Iur. repar. licet enim ad conferendum, & eligendum sit tempus a Iure præfixum, tamen ad confirmandum non reperitur tempus præfixum a Iure, ita Panor. in c. postquam in fin. de elect. & ideo oportet, vt modo explicato procedatur, cum confirmatio electionis regulatur sicut appellatio, quæ deuoluitur ab inferiore ad superiorem Rot. dec. 615. n. 3. quæ est apud Seraph. p. 1.
- 3 Quo ad secundum, sentio confirmationem electionis spectare immediatè ad superiorem electi, vt rectè annotauit Panorm. in c. Monachi §. prioratus n. 10. de stat. monach. per cap. cum ad Monasterium §. nec alicui eod. tit. Cuch. in tit. maior. lib. 4. tit. de confirm. & confirm. potest. n. 1. nisi aliter Iure speciali, vel consuetudine cautum sit secundum Franch. March. dec. 930. par. 1. Vnde electiones exemptorum, qui immediatè subsunt Papæ confirmantur ab ipso Summo Pontifice, vel a Legato de latere si reperiatur in ea prouincia, cap. si Abbatem de elect. in 6.
- 4 Et ad effectum huius secundi capituli est sciendum non esse a Iure præscriptam formā confirmationis, sed sufficere aliquod sine dictū, siue factum, quo superior declararet voluntatem suam confirmando, Oldrad. cōf. 146. n. 6. vt erit installatio, siue intronizatio, & huiusmodi Rota decif. 16. de concess. preben. in nou. & dec. 261. n. 3. coram Card. Mant. Et munus confirmatoris est diligenter examinare electum, & processum electionis, etiam si nihil obijceretur electo, c. cum nobis c. venerabilem de elect. clem. exiui §. demum de verb. signif. aliās confirmatio viribus non subsistit c. nihil est de elect. c. fin. eod. in 6. Azor. p. 2. lib. 6. cap. 16. qu. 6.

Ad tertium etiam quæsitum venio. Præsupposito quod confirmatio cassatur, vel cassa nunciatur, vt pura

D d 4 quia

quia fuerit facta pendente appellatione ad Apostolicam Sedem, & propterea ipse qui confirmavit non habuerit potestatem confirmandi. An in huiusmodi contingetia annulletur quoque electio alterius canonice facta. Dicas pro parte negativa per text. in cap. si confirmationem de elect. in 6. censuit Rota decisio, 1274. num. 2. apud Seraphin. ex eo quod electio, & confirmatio sunt actus diuersi, & a diuersis procedentes cap. fin. de translat. Episc. Et ideo non sequitur, quod secundo amoto, amotus sit quoque primus, quia sunt secreta, idest separata, & secretorum, idest separatim separata debet esse ratio, l. si maritus C. de donat. inter vir. & vxor. l. de bonis in princ. ff. ad Carbon. nec vtile per inutile vitari debet vulg. c. vtile de reg. iur. in 6.

RESOLVT. LII.

- 1 Dispositio text. in cap. vt circa de elect. in 6. est seruanda etiam a procuratore num. 4.
- 2 Forma prestandi iuramentum prescripta in c. vt circa, est obseruanda.
- 3 Forma d. cap. est seruanda ab eo, qui contra certam personam ne ab alijs eligatur antequam fiat electio appellauerit ad sedem Apostolicam.
- 5 Appellatio, vel exceptio nullitatis electionis infra quod tempus opponi debet.

Exceptio nullitatis electionis quomodo opponatur, & infra quod tempus.

- 1 **D**Væ sunt partes huius articuli, quarum altera resoluitur per text. in cap. vt circa de elect. in 6. ubi appellantes contra electiones, omnia quæ obijcere intendunt contra personam vel formam, tenentur exprimere, & iurare quod illa credunt vera esse, & ea se posse probare: super non expressis, ipsi, vel adherentes eis non audientur, nisi de nouo emergant, vel perueniant, vel superueniat probandi facultas, super quo iurare debebunt. Vnde id quod dicitur de prestando iuramento; ibi est prescripta forma, ad vniuersum seruanda, cum ad sedem Apostolicam appellatur vt non sit super obiectis, vel expressis huiusmodi audiendus quis; & si hoc modo iurauerit, videlicet, quod illa, quæ in sua appellatione expresserat, vel ea quæ de ipsis deberent, sufficere vera esse credebatur, & se posse probare, cum non simpliciter (vt ex prædicto textu tenetur) iurauerit, sed indeterminate, & disiunctiue, cap. is qui contra de elect. in 6. Quod etiam procedit, etiam si qui contra certam, & nominatam personam, ne ab alijs eligatur ad Sedem Apostolicam antequam fiat electio duxerit appellandum; debet enim per omnia in appellando seruare formam dicti decreti, ac si electione iam facta eum contingeret appellare; alioquin non obseruans, poenæ constitutionis eiusdem se nouerit subiacere d. cap. qui contra. Illudque pariter habet locum nedom in ipso appellante, sed etiam in ipso procuratore ad appellandum ab electione dato, ita vt non alias censetur idoneus, si omnia quæ in formam, vel in personam intendit opponere, & propter quæ appellare destinat singulariter, & clare sint expressa in instrumento procuratorio; & nisi habeant speciale mandatum ad iurandum corporaliter in eorum animas, quorum procuratores existunt, quod ipsi credunt expressa vera esse, & se posse probare c. procurator de elect. in 6. Imò appellans non est post modum audiendus in prosecutione negotij, si criminum, vel defectuum expostorum debitas circumstantias omisit exprimere, etiam si postea iuramento affirmet ipsas criminum circumstantias, earum probationes ad se non peruenisse Clem. constitutionem de elect. in 6.

5 Ad alteram partem argumenti deueniendo respondet cum text. in cap. cupientes de elect. in 6. vt tam opponens, quam opposites si duo tantum, vel si plures, duo ad minus ex ipsis oppositis expensis ipsorum opponentium proprijs cum actis, & munitis plenè instructi compareant coram Summo Pontifice infra idem tempus, infra quod electi ab ipsa sancta Sede confirmandi venire obstringuntur, vt vel negotium plenarie instrui, vel Sedes eadem valeat per ipsos informari, an Ecclesiarum utilitate perpensa, & alijs inspectis circumstantijs super habendis aliquibus probationibus, seu quibuscumque alijs sit alibi facienda commissio, vel an equitate suadente partes potius apud Sedem ipsam in probationibus & alijs sint arctanda dict. cap. cupientes §. si verò ubi glof. verb. compareant.

Quare tempus, quod præfigitur electis, infra quod tenentur opposites se præsentare conspectui Apostolico est, vt infra mensem vnum ad Sedem Apostolicam iter arripiant, post quod alterum quoque spatium conceditur ex itineris longinquitate moderandum ad effectum se præsentandi: Post quod iterum dantur viginti dies, vt in eis, vel personaliter compareant, vel si impediti, quo minus comparere possint, proponant impedimenti causam, ad quam probandam permittuntur alij quindecim dies. Et si admittatur, procuratorem postea sufficienter instructum mittet, nisi cessaret ipsa causa, quia tunc accedere ipsimet personaliter tenerentur. Alias ipsi opposites (quo ad se) priuantur a prosecutione totius processus, & alijs poenis contentis in dict. cap. cupientes.

RESOLVT. LIII.

- 1 Regularis non potest amoueri a dignitate per suum superiorem absque iusta causa.
- 2 Priuatio tituli imponitur solum in casibus a iure expressis.
- 3 Electiua beneficia, ac dignitates, quæ dicantur.
- 4 Regulares possunt amoueri a dignitatibus, & beneficijs manualibus absque causa.
- 5 Beneficia manualia, quæ dicantur.

An regulares electi, & confirmati ad dignitates, & prælaturas, possint ad libitum suorum Superiorum ab eis amoueri absque causa.

- 1 **V**T veritas elucescat istius articuli, distinguo quod vel agitur de beneficijs, seu dignitatibus electionis: Et dico nullum beneficiatum, siue Prælatum regularem possidentem beneficium siue dignitatem regularem electionem posse ab ea amoueri absque rationabili, & iusta causa, cap. Monachi in fine de statu Monach. vbi glof. verb. non mutantur, cap. nullum potestatem 18. quæst. 2. Azor. par. 2. lib. 3. cap. 26. quæst. 15. & communiter Doct. teste Rota dec. 772. num. 3. par. 1. diuersi. & ratio est, quia quamuis religiosi quid proprium habere nequeant; attamen Superiores religionum, qui ius amouendi habere prætendunt, censentur prohibiti a Summo Pontifice per d. cap. Monachi, vt non possint amoueri nisi ex iusta, & rationabili causa: Et licet poena priuationis tituli numquam veniat imponenda, nisi in casibus in iure expressis, cap. satis peruersum est distinction. 56. Crescent. decisio. 9. num. 1. de probat. Verall. dec. 98. n. 3. par. 3. Rota dec. 28. n. 6. apud Seraph. & in vna Alten. fructuum 17. Martij 1613. coram Manzano; Attamen Prælati, & beneficiati regulares de facili, & ex leuioribus causis possunt amoueri a suis prælaturis, etiam electiuis, cap. per tuas in fine de simon. c. qualiter, & quando in fine de accusat.

3 Pro

3. Pro intellectu verò supradictorum est sciendum, quòd beneficia, praelatura, & dignitates electuæ appellantur perpetua Panormit. d. cap. Monachi, de stat. Monach. Sylua de benefic. par. 3. quæst. 68. num. 2. Castador. decif. 4. num. 3. & Rota, decif. 296. num. 7. coram Coccino Domino meo obseruandissimo; ratio est, quia generaliter perpetua censentur, quæ adimi nequeunt, nisi certis de causis a iure concessis, glof. in Clem. quia regulares de supplend. neglig. præl. & in Clem. & si principalis verb. electio de rescript. sed electio sunt huiusmodi dict. cap. Monachi in fine, ergo.
4. Vel sumus in casu praelaturarum, dignitatum, & beneficiorum manualium, & tunc Superiores possunt amouere beneficiatos, siue Praelatos manuales de suis beneficijs, seu dignitatibus manualibus quomodo-cumque, & qualitercumque ipsis placuerit, etiam sine causa, nec ipsi Praelati manuales possunt conqueri contra Superiores cap. cum ad Monasterium, §. tales in fine iuncta glof. verb. perpetuo de stat. Monachi, ita voluerunt Sylua de benefic. par. 3. quæst. 68. in fine, Rota decif. 6. de restitution. spoliat. in nouis, & decif. 1. versicul. nec seruamus eodem titulo in antiquis, & decif. 778. numero 1. diuers. vbi refertur sic resolutum in vna Burgenf. amotionis Magistri Cappellæ, 11. Decembris 1591. coram Cardinali Blancherto.
5. Dicuntur manualia beneficia, & dignitates cetera omnia beneficia regularia præter supradicta Clem. 2. vbi glof. verb. per electionem de rescript. Bellamer. decif. 203. Rota decif. 772. num. 1. par. 1. diuers. & decif. 20. num. 4. par. 1. in recent. nisi aliud cautum esset ex statuto, priuilegio, vel consuetudine, secundum tradita per Gonzal. sup. reg. 8. Lancellot. glof. §. §. 6. num. 8. & 59.

RESOLVT. LIV.

1. Inhabilitas resultat ex simonia.
2. Electio facta per simoniam est ipso iure nulla, & ampliatur num. 3. & 4.

Electio Regularium per simoniam facta, an sit nulla ipso iure.

1. IN facti contingentia præmittendam simoniam, siue conuentionalem, siue realem repellere simoniam ab affectatione beneficii nondum obtenti, & reddere inhabilem non solum ad illud, ad quod facta fuerit conuentio; verum etiam ad alia obtinenda. Diaz. in direct. elect. par. 2. cap. 28. Castador. decif. 5. de constitut. Sarnen. de triennali quæst. 12. in fine. Zerol. in Praxi Episcopali par. 1. verb. simonia, §. 9. Nauar. in repetit. cap. finali num. 28. de simonia, & in cap. si quando de exception. cap. 4. de rescript. & cap. 23. num. 103. & in varijs Consil. de simon. Gonzal. loc. sup. cit. num. 70. Rota decif. 83. libro 1. & decif. 145. & 150. lib. 3. diuersorum.
- Et ad casum suprapositum dixi pariter omnem electionem siue prouisionem, nominationem, institutionem, vel collationem, qua quis ad beneficium Ecclesiasticum per simoniam realem assumitur, esse ipso iure nullam, & inanem, & per consequens huiusmodi sic simoniace prouisum, seu electum priuari ipso iure beneficijs; itaut impetrari possint, etiam absque alia declaratione, quæ post impetrationem fieri posset extrauag. cum detestabile de simonia extrauag. Mart. V. quæ incipit multa in Concil. Constant. scilicet 43. & alia extrauag. eiusdem Pontificis cuius initium damnabile, Azor. par. 3. cap. 20. quæst. 8. & ita cum eodem hanc assertionem sultinent Fely. & alij in cap. infinuatum num. 5. & in cap. de simo-

niacè num. 6. de simonia, Rebuff. in praxi titulo de simonia in resign. num. 7. 8. & seq. Marefcot. libro 2. variar. resol. cap. 35. num. 11. & seq. Suarez cap. 57. num. 22. & est communissima sententia.

Ampliatur tamen supradicta conclusio pluribus modis, &c.

2. Primo dictam assertionem sibi vindicare locum, tam in simoniaco occulto, quam notorio, vt aperte habetur ex littera d. extrauag. cum detestabile ibi tam manifestum, quam occultum; & confirmat Rebuff. num. 12. Sylua de benefic. par. 3. q. 2. num. 58. Suarez cap. 57. n. 27. & Marefcot. n. 12.

Ampliatur secundo, vt d. assertio procedat etiam si simonia commissa fuisset cum vno solo ex multis electoribus, quorum maior pars alias eundem quoque elegisset d. nobis, vbi Panorm. num. 2. de simon. & in c. cum super num. 4. de confess. Rota decif. 516. num. 1. coram Eminentiſſimo Card. Seraph. & Nauarr. multis allegatis cap. 25. num. 113. qui merito addit secus esse dicendum, in foro conscientie, concordat Garci. de benefic. d. cap. 1. num. 10.

4. Ampliatur tertio eandem assertionem procedere, etiam si simonia commissa fuisset cum electoribus, vt hucusque dictum est ignorante electo d. c. nobis de simonia Suarez cap. 57. n. 35. & seq. vbi de communi, Lessius de iusti. lib. 2. cap. 35. num. 142. Rota in vna Massanen. Cappellan. coram Vortia, & decif. 191. num. 5. p. 1. diuers. quas refert, cum multis alijs, Garzias n. 6. & nedum procedit, vt dictum est, sed etiam si simonia commissa fuisset cum amico, seu Consiliario electorum, vel alicuius electoris ignorantibus, & electo, & electoribus, Summa Corona par. 3. tract. de simonia num. 3. & Garzias n. 9. vbi quoque addit hæc omnia veritatem habere, licet electores alias essent, vel fuissent electuri eundem si etiam moti fuerunt consilio, & intercessione illius ex glof. & Fely. in d. cap. nobis in fine.

RESOLVT. LV.

1. Electus prohibetur administrare pendente exceptione contra electionem si nondum inciperit administrare; declara, vt n. 3.
2. Iurisdicção delegati re integra expirat morte delegantis.

An pendente exceptione contra electionem electi sollemniter factam, possit interim electus exercere.

Posset, & solet aliquando dubitari in præſenti materia electionis, si facta rite electione, contingat quòd cõtra illam opponatur exceptiones, an interim possit electus exercere officij; & resolutio huius quæſtionis negativa erit, quòd electus dum pendet dictæ exceptiones, nec officij exercere valeat, nec possit instrumentum subire, quouſq; ad finem determinetur cõtrouersia, ex doctrina Speculat. lib. 4. tit. de exceptio. §. nunc dicendum n. 16. vbi format hanc quæſtionem, quòd si Titius fuit electus in potestatem cuiusdam Castri, & quidam se huic electioni opponunt, dicentes eam non valere, pendente lite non debet exercere officium, si non inchoauit exercere l. qui status, §. de re milit. secus verò si inchoauit, l. §. penult. ff. nihil in nou. appellat. pendente. l. reus §. 1. ff. de muner. & honor. Roman. singul. 438. & Paris. de Iudic. Pap. accusat. fol. 47. & ratio rationis potest esse, nam res non est integra, argum. cap. licet, cap. gratum, & cap. relatum de offic. deleg. vbi Iurisdicção delegati morte delegantis expirat si res non erit integra.

3. Tu autem animaduertas, quòd dicta exceptio debeat esse talis, quòd necessario inferat delictum, & non possit aliud importare, nec sufficit quòd prima facie sonet in delictum, tradit Innocent. in capitul. super

Super his de accusat. quia quilibet praesumitur idoneus ad officia, & beneficia, glossa est optima in cap. bona memoriae de elect. verb. per rerum naturam; & semper electus praesumitur bonus, & dignus, & electus contemplatione meritorum, c. miramur 61, dist. vbi notat gl. verb. pro laboribus, quod eo ipso quod quis est electus praesumitur esse melior alijs, & ad id iura allegat, est etiam textus in cap. cum in cunctis de electione, cap. cum in iuventute de praesumpt. & qui dicit contrarium, legitime probare debet, cap. vnico de scrutin. cap. final. de praesumpt. cum alijs de quibus per Mascard. conclus. 592. & 878. lib. 2. & faciunt adducta per Franc. decif. 8. vbi Nouarius cum additione pulchra cumulat.

RESOLVT. LVI.

1 Maior etate praefertur in prerogatiua sedendi ei, qui primo fuerit adeptus possessionem officij.

An in electionibus sit praefendus maior etate in prerogatiua sedendi alteri, qui primo fuerit adeptus possessionem officij.

Est adeo versata apud homines materia ista electionis, quod ex ea multa quippe dubia oriri solent: & inter alia, posset queri an ex duobus officialibus, maior etate sit praefendus in prerogatiua sedendi alteri, qui primo fuit adeptus possessionem officij, ad quod responderem si de hoc fuisset interrogatus, esse praefendum maiorem etate, ex quo in honoribus, Officijs, & Magistratibus, seniores iunioribus semper sunt praeferendi, & qui originem §. Praeses ff. de mun. & honor. 2. C. de primicer. lib. 12. l. sancimus C. de consul. eod. lib. 12. cap. fin. vlt. 75. dist. & Ecclesiast. 22. ibi (loquere maior natu, decet enim, &c.) & Numeror. vbi Moyses insu Domini septuaginta viros ex omni populo seniores delegit, qui secum regerent, iudicaretque populum. Et facit illud Job. cap. 12. (in antiquis est sapientia, & in multo tempore prudentia,) & ibidem cap. 32. annorum multitudo docet sapientiam, & Ecclesiast. c. 15. quam speciosis veteranis sapientia, & gloriosus intellectus: Vnde Bald. in l. 1. col. 4. vers. sed poene robustus C. vnde vi, inquit vires pollere in iuuenibus, & prudentiam in senioribus, vt haec, & multa alia cumulat Tiraquell. in tract. de primogen. in praefat. a num. 89. Din. Hieronymus ad Neaportianum de vita Clericorum: omnes, inquit poene virtutes corporis mutantur in senibus, & crescente sola sapientia, decrefunt ceterae virtutes, & paulo post, senectus etate fit doctior, processu temporis sapientia, & facit etiam illud Seneca lib. de virtutibus cap. 1. (Prudens fallere non vult, falli non potest.)

Et quamuis in contrarium posset adduci text. in l. 1. ff. de alb. scrib. & l. 1. C. de consul. lib. 12. & in c. statuimus de maior. & obed. ex quibus colligitur, quod ille, qui primo fuit adeptus locum praeferrere debeat in loco, & in prerogatiua sedendi tamquam dignior, & antiquior; Et antiquior non dicitur etate, sed gradu, & dignitate, vt notat glossa in c. fin. de consuetud. in 6. & dato etiam quod posterior in gradu esset ditior, vel nobilior, istae qualitates non tollunt prerogatiuam temporis, vt notanter tradit Innoc. d. cap. statuimus, & Gamm. decif. 1. n. 5.

Tamen responderi potest, quod solummodo procedit, quando manus, quod explicandum est commodius per Iuniores tractari potest, quia forte magis constant robore viribusque corporis, quam animi ad id enim magis assumendi sunt iuniores, quam seniores, vt notatur in l. cum quid ff. si cert. petat. & ibi Aret. & Salyc. Florian. in l. fin. in fine, ff. de fide instrum. ar-

gum. l. praecipimus, ff. de adilit. & dicto l. ob carmen §. fin. ff. de test. In alijs autem muneribus, quae consistunt in animo, consilio, & prudentia, seniores sunt praeferendi iunioribus ex text. in l. si qua C. de iudicis.

PRAXIS ETATIS.

RESOLVT. LVII.

- 1 Generales, & Prouinciales, ceterique iurisdictione, quasi Episcopali gaudentes triginta annorum etatem habere debent.
- 2 Aetas ad Prioratum, & Guardianatum quae requiratur, & quae ad definitorium n. 3.
- 4 Declaratio Sacrae Congregationis reportatur.

Qua Aetas requiratur in promouendis ad dignitates, & personatus regulares?

EX Miranda in Manual. praelat. tom. 2. qu. 3. art. 1. conclus. 2. & Azor. par. 2. lib. 6. c. 5. quael. 1. percipitur Generales, Prouinciales, ceterosque iurisdictione quasi Episcopali gaudentes debere esse maiores triginta annis, ita vt trigessimum annum exegerint, prout de assumendis ad Episcopalem Cathedralam decernitur in cap. quicumque, & cap. Episcopus dist. 77. cap. cum in cunctis de electione, Concil. Trident. sess. 7. cap. 1. & sess. 24. cap. 12. de reformat. & in constitutione Gregor. XV. de forma faciendi processus super promouendis ad Ecclesias Cathedralas, quae incipit onus Apostolicae seruitutis.

2 Ad Prioratum vero, Praeposituram, Rectoratum, Guardianatum, & alias dignitates, quibus animarum cura subest, non posse promoueri, nisi qui vigessimum quintum suae etatis annum saltem attigerit, id est incaperit, d. c. cum in cunctis, §. inferiora; cap. licet canon de elect. in 6. Concilium Tridentinum d. cap. 12. Panorm. in cap. super inordinata num. 9. de praebend. Nauarr. lib. 1. consil. 4. tit. de etate, & qualitate, Rodriq. tom. 1. qu. 15. art. 2. & Garz. de benef. par. 7. cap. 4. num. 41.

3 Ad definitorium vero, ceterasque dignitates, & personatus, quibus nulla animarum cura competit, non posse minores 22. suae etatis anno assumi, habemus ex Concilio Tridentino d. cap. 12. Et licet Henricus lib. 14. cap. 8. §. 10. in fin. in glossa lit. X. & Emmanuel Sa verbo beneficium num. 31. afferant praedictum vigessimum secundum annum requiri inceptum, non expletum: Tamen tenendum est illa Concilij verba, viginti duobus annis, non minores ascendantur innuere viginti duos annos debere esse completos, prout ita eademmet verba declarauit Sacra Congregatio Eminentissimorum Cardinalium Concilij interpretum, vt infra. Congregatio Concilij censuit requiri aetatem viginti duorum annorum completam A. Card. Carafa, Intus Episcopo Abulensi, Illustrissime, & Reuerendissime Domine vt frater, dubitationi amplitudinis tuae nomine praeposita super etate, quae per Concilium Trident. cap. 12. §. ad ceteras autem dignitates, & c. sess. 24. de reformatione requiritur in ijs, qui dignitates, vel personatus, quibus animarum cura nulla subest obtinere volunt; Congregatio Illustrissimorum Patrum eiusdem Concilij Interpretum, ita respondendum duxit, nempe decretum illud esse intelligendum de anno vigesimo secundo completo, quod reliquum est, Deum amplitudini tuae propitium in omnibus precamur. Romae die 24. Septembris 1593. amplitudinis tuae Illustrissime, ac Reuerendissime vti frater studiosissimus Hieronymus Card. Matthaeus.